

## Pars prima de universo

aut est in eternitate et cum ipsa aut est post eternitatem et supra tempus ut anima que est in oriente eternitatis. Nihil autem potest intelligi ante eternitatem esse aut ultra ipsum nisi ipse creator benedictus et hec ante rioritas vel posterioritas non potest esse nisi causalitatis qua generaliter causa omnis efficientis intelligitur post esse omni causato suo. Impossibile enim est ut eternitate et tempore precesserit eternitate tempore quidem ipsum precessisse eternitatem est impossibile quoniam tunc necesse esset tempore illud precessisse eternitatem quare eternitas esset finita et terminata ad tempore illud. Similiter impossibile est quod creator eternitate precesserit eternitatem tunc enim oportet quod vel eadem eternitate precesserit eam vel alia. Si eadem necesse esset igitur eternitas eadem post seipso. Si vero alia esset igitur eternitas altera post alteram et hoc non posset esse nisi uno duorum modorum videlicet ut aut sine medio esset post illam aut non. et tunc est terminata ad illam et inciperet ab illa quemadmodum dies ad suum crepusculum vel noctem precedentem immediate ipsum. Si vero medium esset inter duas eternitates esset posterior eternitas terminata ad illud et inciperet ab illo. et ita esset finita ab illa parte eternitas. Manifestus igitur est quod ante eternitatem nihil est duratione. quod nec tempore nec eternitate ut iam patet ei tibi. Eodem modo se habet a parte altera. Quod igitur creator benedictus dicitur esse ante eternitatem ordinis dicitur non per ordinem durationis aut successionis.

Lito etiam quod eternitas ista non est secundum Aristotelem neque secundum intentionem cuius physicus est iste sermo nisi tempus eternum hec est duratio et ultra quam parte infinita. Verum an huius modi duratio possibilis sit in aliquibus rerum creatarum faciam te scire in sequentibus et declarabo. quia nec tempore nec aliud continuum vel modo potest esse infinitum. In hac ergo continuitate et cum ea posuit Aristoteles esse intelligentias decem vel plures si plures essent quam decem. hoc enim non determinauit in metaphysica sua. Sed posuit tot esse intelligentias mouentes corpora celestia quae erant motus celestes. sed neque numerum motuum celestium declarauit tractatu qui adhuc ad me pertinet.

nerit. Inductus autem fuit ad exponendum intelligentias in eternitate specialiter cruditas autem qua credebat credidit eas nihil habere in potentia et propter hoc nihil eis addere posse. nihil nominis posse acquiri ab eis. Sed totum absesse actu quicquid habere naturaliter poterant et propter hoc nihil eorum que habent eis posse fluere nihil eorum quod non habet ad eas posse influere et hec est quedam indubitanter propinquitas et vicinitas ad eternitatem.

Trabile autem est et questionem habens non levem quod habet sermo propheticus ipsius prophete hebreorum et legislatoris ipsorum. Dominus inquit regnabit in eternum et ultra. Et alius eiusdem gentis propheta. dominus regnabit in eternum et in seculum seculi. Aut igitur aliud est ultra eternitatem et post ipsum aliquid inquam quod est vel tempus vel eternitas vel perpetuitas aut non. Si sic tu scis quod hociam prohibatum est per ea que precesserunt. ex eo enim sequeretur eternitatem esse finiendam ad illud si immediate esset ultra eternitatem. Si vero medium intercederet in ter illud et eternitatem finiretur ex necessitate eternitas in illo medio et ad illud. Si vero nihil est post eternitatem tale quomodo igitur regnabit in eo deus nec in hoc enim videlicet quod aliud sit nec in eternitate nec in perpetuitate. nec in tempore. nec nunc temporis. propter hoc visum est aliquibus quod hec sit intentio sermonis illius. dominus regnabit in eternum et ultra. hoc est quantumlibet et ultra diuisum scilicet ac si diceretur per mille annos et ultra et per centum milia annorum et ultra et ita in infinitum. Sed qualiter exponent illud aliud. Regnabit in eternum et in seculum seculi. Videlicet ergo seculum seculi intelligere seculum quod est futurum post presens seculum. id est post seculum quod modo est et secundum hoc in eternum esset intentio designans presens seculum tamen Verum posset aliquis intelligere quia seculum seculi expositio eius est quod dixerat in eternum. ac si diceret. dominus regnabit in eternum. hoc est in seculum seculi. Jam enim declaratum est tibi. quia eternitas sicut precedit seculum presens et tempus. Ita et sequitur illa intra enim ipsum sunt sicut in precedentibus audiisti. Si quis autem dixerit dictum esse per figuram quam greci vocat ypholem tu